DISSERTATIONIS
De
CYMBALARIA

PROOEMIUM.

ANtiquiſſimum eſt ſtudium Botanicum, ſed diverſo nihilominus fine à ſui amatoribus excultum; videas enim hos quidem ſimplici aſpectu vel intuitu ſtirpium, atque eapropter etiam illarum Iconibus ac denominationibus contentos; alios verò ulterius progredientes, earumque culturam ſuis in Hortis proſequentes. Videas iterum, qui non niſi earum uſui plus minus ſalutari examinando, explorandove ſunt intenti; alios præterea, qui cùm inſignem diverſitatem Herbarum obſervarent, in eo deſudârunt maximè, ut illas in certas Claſſes, Genera ac Species dividerent, hujusque digeſtionis fontes modò ex Foliis, modò ex Floribus, modò denique ex Fructificatione & Seminibus deducerent. Omnes procul dubio ſuas meruere laudes, ſed ii tamen nobis quidem videntur reliquis præferendi, qui ad publicam utilitatem Studium illud ſimul accommodârunt, quique eapropter non ſolùm externam

Botanices Studium diverſimodè excultum.

Plantarum diviſio in Claſſes.

Qui Botanici reliquis præferendi.

qualiumcunque Plantarum ſtructuram, faciem, conformationem, magnitudinem, colorem, odorem, ſaporem, quoad omnes ſuas partes deſcribere, ſed & ad interiora magis earundem penetrare, Reſolutiones chymicas aut pharmaceuticas inſtituere, atque ſic tandem ipſarum ἐνέργειαν in corpore noſtro explorare, vel ad uſum qualemcunque humanum trahere laborârunt. Ac ſanè heic campum quis habet ampliſſimum inquirendi diligenter, ruſpandi atque detegendi mille milleque Plantarum vires nondum hucusque cognitas; etſi enim primo ſtatim intuitu magnas inveniat difficultates ad talem ſcopum attingendum, deſperare tamen neutiquam debet, dum media adhibet neceſſaria. Liceat hinc nobis talia mente attentâ conſiderantibus, ad eorum, qui huic laudabili hucusque propoſito inſtiterunt, imitationem ſpecimen quoddam commentationis de *Cymbalariâ*, Herbâ illâ in Officinis pharmaceuticis hactenus ignotâ atque inuſitatâ, in medium proferre, ac ejus, quantum fieri à nobis poterat, adcuratam, quoad externa & interna deſcriptionem, vires atque uſum in quibusdam morbis ſalutarem tradere. Præſtet DEUS Opt. Max. ſucceſſum felicem, Lector autem benevolus noſtros qualescunque conatus æqui bonique conſulat, ac errores hinc inde forſan commiſſos ſuâ benignitate haud gravatim corrigat.

Plura in Plantis detegenda reſtant.

CYMBA-